DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS, DE IMPENSIS: QUAM AUTORE FIDEI JUVANTE, ...

Jeremias Reusner, Peter Gartze, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

VII. Huic diſtinctioni maximè locus eſt, cum de eo contractu agitur, qui factus eſt in gratiam ſolius accipientis, ut in commodato, &c. *l. 8. ff commod.* & ibi Ant. Fab.

VIII. Item, impenſæ vel ipſius rei vel fructuum dicuntur *l. 7. §. ult. ff ſol. matr. l. 36. §. ult. ff. de pet. hered. l. 27. §. 6 ff. de Rei vind.* Pac. *ad rubr. C. de fruct. & lit. expenſ.*

IX. Fructus hic à re ipſa diſtinguimus, eſtq; omnis utilitas, omne emolumentum, quod vel ex re, vel propter rem percipitur; ut merces habitationis, opera ſervorum, vectura navium, *l. 29. ff. de hered. petit. l. prædiorum. 36. ff. de uſur.* Item uſuræ *l. 121. ff de verb. ſignif.* Et aucupia, piſcationes, venationes. *l. 62. in pr. ff. de uſufr. l. 9. §. 5. ff. Eod.*

X. Proprie tamen fructus dicuntur qui ex re ipſa naturaliter enaſcuntur. *l. uſuræ. 121. ff. de V. S. l. 34. l. 36. ff. de uſur. l. 29 ff. de pet. hered.*

XI. Suntq; vel merè naturales, ut qui proveniunt naturæ principaliter, qui ſua ſponte naſcuntur, ut poma, ſylvæ cæduæ, *l. 45 ff de Uſur.*

XII. Vel induſtriales, qui natura quidem cooperante, ſed facto, cura, & induſtria principaliter hominis proveniunt, ut ſunt fructus, qui ex ſeminibus percipiuntur. *l. 45 ff. de Uſur.* quos ſeminarios vocat Ulpianus *in l. 9. §. 6. ff. de uſufr.* ut frumentum, legumina, item vinum & oleum quia hominis facto fit. Item quæ ex animalibus percipiuntur, qui ſine cura, multipliciq; hominis facto non proveniunt, ut ſunt oves &c. *l. 4. §. 19 ff. de uſurpat. & uſuc. l. 28. in pr. l. 45 ff. de uſur. l. 48. § 2. ff de adq. rer. dom.*

XIII. Fructuum impenſæ fiunt, eorum quærendorum, cogendorum, conſervandorum gratia. *l. ſi à domino. 36. §. ult. ff. de petit. hered. l. ult. ff. de impenſ. in res dot. fact.*

XIV. Impenſas fructuum percipiendorum gratia eſſe Pomponius ait, quod in arando ſerendoq; agro impenſum eſt, quodq; in tutelam ædificiorum, ægrumve ſervum curandum: ſc: ſi ex ædificio vel ſervo fructus percipiebantur, *l. fructus, 7. § ult. ff. ſolut. matr.*

XV. Ita conſervandorum fructuum impenſæ dicuntur quæ fiunt in ſpecus circa ſegetes, ut à ferarum curſu defendantur, in ſepes,

ſepes, maceries, quibus vineas & agros occludunt, in cuſtodes ut fructus cuſtodiant, ne à furibus ſurripiantur. Menoch. *de arb..r. judic. caſ. 215.*

XVI. Cogendorum fructuum cauſa dicuntur, quæ fiunt in compilanda vindemia, vel frumento; ut quod meſſoribus datur.

XVII. Hæ impenſæ omninò deducuntur, nec intelliguntur fructus, niſi deductis primùm impenſis. *l. vel ſi. 3 §. 1 ff. de Impenſ in res dot. fact. l. 36. §. ult. ff. de hered. petit. l. 46 ff. de uſur.*

XVIII. Nec ullus caſus intervenire poteſt qui hoc genus deductionis impediat. *l. 51. in pr. ff. fam. erciſc. d. l. 46. ff. de uſur.*

XIX. Et hoc non ſolum in bonæ fidei poſſeſſoribus naturalis ratio expoſtulat, verum etiam in prædonibus. *l. 36. §. ult ff de petit. hered.*

XX. Rei impenſæ ſunt, quæ in rem ipſam impenduntur. *l. 7. §. ult. in fine. ff. ſolut matr. l. 38. ff. de petit. hered.*

XXI. Sive corporalis ſive incorporalis, ſive divina ſive humana, ſive publica ſive privata ſit, nihil intereſt.

XXII. Hæ impenſæ naturali & civili ratione regulariter cedunt rei in quam factæ. *§. 29. Inſtit. de rer. diviſ l. 23. § 5. ff. de rei vind. l. 29. §. 2 ff. de pign. l. 2. ff. de ſuperf. l. 7. §. 12. ff. de A. R. D. l. 39. & ibi* Ant. Fab. *ff. de Rei vind.*

XXIII. Excipitur ædificium quod quis poſuit in re omnium gentium communi; ut in littore maris, quod non cedit rei, ſed contra, ſolum cedit ædificio. *l. 4. ff. ne quid in loc. publ. l. 50. ff. de adq. rer. dom.*

XXIV. Item quod quis inædificavit in ſolo publico, jure civili quorundam hominum communi, nemine prohibente, neque uſum publicum impediat. *l. 2. §. 17 ff. ne quid in loc. publ.*

XXV. Denique ædes ſacra, in alieno ſolo exſtructa, quæ non ſolo cedit, ſed hoc caſu nihilominus pretium ſoli ſolvendum. Gilken. *de imp. p. 1. c. 1. n. 34.*

XXVI. Impenſæ etſi regulariter cedant rei, varia tamen remedia eas ſervandi jure prodita ſunt. Antequam autem de his agemus, primo videbimus varia genera impenſarum, deinde qui impenſas repetant, ultimo quibus remediis.

XXVII. Rei impenſæ vel ſunt neceſſariæ, vel utiles, vel voluptuariæ. *l. 1. in pr. ff. de imp. in res dot. fact. l. 38. l. 39. ff. de hared. petit. l. impenſæ 79. ff. de V. S. l. 7. §. ult. ff. ſolut. matr.*

XXVIII. Neceſſariæ impenſæ definiuntur à JCto Paulo *in l. 79. ff. de V. S* quibus non factis res fuit peritura aut deterior futura: ab Ulpiano *in l. 1. §. 1. ff. de impenſ. in res dot. fact.* quæ neceſsitatem in ſe habent impendendi. Sc: ratione rei, non autem perſonalis obligationis, nam alioquin & utiles comprehenderentur. Gilk *de impenſ. p. 2 c. 1. n. 4.*

XXIX. Hæ fiunt vel ob cauſam intrinſecam & naturam rei, ut in fructuum diſtractione, qui ætatem ferre non poſſunt. ædificiorum refectione & tuitione, animalium curanda valetudine, alendis ſervis. *l. 1. §. ult. ff. de impenſ. in res dot. fact. l. 6. ff. qui pot. in pign.*

XXX. Vel extrinſecam, ut in aggeris exſtructione, ne prædia à mari aut flumine periclitentur. *l. 1. §. ult. l. 14 ff. de impenſ. in res dot fact.* Boc. *claſſ. 5. diſp. 6. th. 9.*

XXXI. Huc refero æs alienum, quod, ne fundus pignori datus forte vendatur, ſolvendum erat; vel propter pœnam, vel aliam cauſam. *l. Divus in pr. l. ſi quid poſſeſſor. 31. §. 1. ff. de hared. petit. l. 1. §. 3. ff de impenſ. in res dot. fact. l. 65. ff. de rei vind.* & quæ ad conſequendas res dotales litibus impenduntur. Weſenb. *par. de impenſ. in res dot. fact. n. 2.*

XXXII. Item ea, quæ ex diſpoſitione legis, ſtatuti, vel probatæ conſuetudinis oriuntur, ut vectigalia, tributa, cenſus, portoria. *l. 10 ff. de publ. tot. tit. C. Si propt. publ. penſit. l. 5 ff qui pot. in pign* & quæ ſine dedecore ex conſuetudine regionis omitti non poſſunt. Alc. *ad l. impenſæ. 79. ff. de V. S.* Cant. *ad §. certe illud. Inſtit. de rer. diviſ.* Gilken *de Imp p. 2. c. 1 n 7.*

XXXIII. Utiles impenſæ, propriè ſic dictæ, ſunt, quibus res carere potuit, ut, his non factis, non minus res eſſet integra quam ante, ſed quæ factæ fructum augent. *l. 1. § 1. l. 5. § 3 ff. de Impenſ. in res dot. fact. l. 79 § 1. ff. de V. S.*

XXXIV. Cujusmodi ſunt impenſæ earum rerum, quæ nunc primum inſtituuntur in re petita, ut ædificatio in ſolo alieno facta, arbuſti paſtinatio ultra quam neceſſe fuit, doctrina puerorum,

torum, piſtrinum & horreum inſulæ adjectum. *l.79.§.1.ff. de V.S, l.6.ff. de impenſ. in res dot. fact.* pecorum prædiis impoſitio, i, e. ſtercoratio. *l.14.§.1.ff Eod.*

XXXV. Voluptuariæ ſunt, quæ citra neceſsitatem & utilitatem ad ſolam voluptatem ſunt factæ, quæ ſpeciem duntaxat ornant, non etiam fructum augent *l. impenſæ. 79.§. ult. ff. de V S. l. 7. ff. de impenſ. in res dot. fact.* Sich *ad l. 5. n. 7. C de rei vind.*

XXXVI. Ut ſunt aquæ ſalientes, incruſtationes, picturæ, viridaria, balnea, marmora. *l.39.§.1.ff. de petit. hæred d.l 79.§ ult. l.14.§ ult. ff. de impenſ. in res dot fact.*

XXXVII. Hæ ſupervacuæ impenſæ appellantur, *in l. utiles. 39.§.1 ff. de petit. hæred,* malè à Doctoribus, voluntariæ.

XXXVIII. Voluptuariæ nonnunquam utiles fiunt, maximè ſi fuerint factæ in res, quæ promercales ſunt. *l. 10.ff. de impenſ. in res dot. fact.*

XXXIX. Repetunt impenſas regulariter qui animo obligandi eas faciunt, qui aliena gerunt. *d. l. 14.§ 1, ff. comm. divid.*

XL. Ut ſunt, tutor, mandatarius, negotiorum geſtor, &c. *l. 29. ff. comm. divid. l. 12. §. 9. ff. mand. l. 1. in pr. ff. de contr. tut. act.*

XLI. Excipiuntur 1. qui legis neceſsitate ad hoc tenentur; ut mater, ſive ſit nobilis ſive ignobilis, liberos absq; diſtinctione intra triennium lactare tenetur. *l. nec filium. pen. C. de patr. poteſt. l.5.§.4.ff. de agnoſc. & alend. lib.* Sich. *ad l. 1. n. 5. C. de neg. geſt.*

XLII. Sic pater & mater liberos etiam poſt triennium, alere tenentur, ſi non habeant unde vivant: educatio enim eſt de jure naturali, ſicut & procreatio. *l. 1, §. 3. ff. de juſt. & jur.* Sich. *ad l. 1. n. 6. C. de neg. geſt.*

XLIII. Nec tantum alimenta qualiacunque præſtare coguntur, ut quæ neceſſaria ſunt ad vitam conſervandam, ſed & pro modo facultatum. *l. ſi quis. 5. §. 7. ff. de agnoſc. & alend. lib.* Gars. *tr. de expenſ. c. 3. n. 37.*

XLIV. Similiter avus vel proavus paternus, cæteriq; ſexus virilis parentes, in ſubſidium aviæ, cæteriq; parentes per illum ſexum contingentes, ſi parens ipſe egeat; hæc res enim ex æquitate do-

te deſcendit, caritateq; ſanguinis. *l. 5. §. 1. & 2. ff. de agnoſc. & alend. lib.*

XLV. Liberos abſque diſtinctione alere coguntur naturâ. *d. l 5. §. 4. ff de agnoſc. & alend. lib. d. l. 1. §. 3. ff. de juſt. & jur.*

XLVI. Excipiunt tamen leges, ex inceſtu natos. *Auth. ex complexu. C. de inceſt. & inut. nupt.* Quod iniquum videtur, ideoq; jure canonico aliter ſtatutum. *extr. de eo qui dux. in matr. quam poll per adult.*

XLVII. Ut & exhæredatos: æquum eſt enim qui facit contra leges naturæ, parentem laceſſendo, ut naturæ quoque legibus deſtituatur. Gars. *de expenſ. c. 3. n 26.*

XLVIII. Sicut parentes filios, ita vice mutua liberi parentes inopes alere coguntur, tam paternos quam maternos. *l. 5. §. 1. & §. 2. ff. de agnoſc. & alend. lib.* licet æs alienum eorum exſolvere non cogantur. *d. l. 5. §. 16.*

XLIX. Sic ſoror & frater, ſororem & fratrem inopem. *l. mutus. ff. de jur. dot. l quamvis. ff. ſol. matr. l. 13 §. 2. ff de adm. tut. l. qui filium. ff. ubi pup. educ. deb. l. 1. § ſed nonnullos. ff. de tut. & rat. diſtr.* Salic. *ad l. 1. C. de alend. lib.*

L. Non tamen frater, fratris vel ſororis filios; nulla lege enim id reperitur deciſum. Dd. *in l. 1. ff. ſol. matr.* Garſ. *de expenſ. c. 3. n. 35.*

LI. Denique & liberti, patronum inopem alere tenentur, pro modo facultatum, ut & liberos ejus. *d. l. 5. §. 18. cum duob. §§. ſeqq ff. de agn. & alend. lib.*

LII. Hi omnes impenſas non repetunt: quæ enim ex neceſſitate fiunt repeti non poſſunt, quia impendens functus eſt ſuo officio, quandocunque autem munere ſuo fungitur, tunc id tenetur facere proprio ſumptu, nec habet repetitionem. *l. ſuo victu. ff. de oper. lib.* Sich. *ad l. 1. n. 3. C. de negot. geſt.*

LIII. Nec repetunt 2. qui mala fide, etiamſi cauſam habeam à Domino, impendunt; ut uſufructuarius, qui contra notam uſusfructus naturam quid inædificat: & conductor, qui contra legem initio locationi inſertam, quid operis molitur, *l. 3. §. 7. l. 15.*

l. 15. ff. de uſufr. l. 55. §. 1 ff. loc. Menochius *de recuper. poſſ. remed. 15. n.* 503. diruto tamen ædificio materiam vindicare non prohi; bentur *l. 15. in pr. ff. de uſufr.*

LIV. Tertiò, Qui contra prohibitionem domini impendit. *l. fin. C. de neg. geſt.*

LV. Contrà, repetunt Impenſas & poſſeſſores propriè ſic dicti, ut qui rem tenent affectu ſibi habendi, qui quaſi in rem ſuam impendunt, ut domini. ſi modo rem poſsideant *l. 5. C. de rei vindic. l. ſi in area. 33. ff. de cond. indeb. l. nam hoc. 14. ff. eod. l. adeo. §. ex diverſo. ff. de adq. rer. dom. l. 38. ff. de pet. hered. l. 27. §. 5. l. ſumptus. 48. ff. de rei vind.*

LVI. Item perſonæ quæ donandi facultatem non habent; ut maritus qui in fundo uxoris ædificium exſtruit. *l. 21. ff. de donat. int. vir. & uxor.* Item pupillus, furioſus, prodigus, minor, qui nihil alienare poſſunt *l. obligari. 9. ff. de auct. tut. vel cur.*

LVII. Denique qui pietate, amicitia, miſericordia ductus aliquid impendit, repetit, ſi modo declaret ſe animo repetendi id facere. *l. Neſennius. 34. ff. de neg. geſt. l. ſi paterno. 15. C. eod.*

LVIII. Juris remedia quibus ſervantur impenſæ, in rem alienam factæ, alia comparata ſunt, ſi is, qui impendit, rem adhuc detineat; alia item, ſi dominus rem poſsideat; vel res interierit.

LIX. Qui rem detinet, ſervat impenſas, vel retentione, vel ablatione. *l. 38. l. 39. §. 1 ff. de petit. hered. l. 37. ff. de Rei vind. l. ſi in area. 33. ff. de condict. indeb.*

LX. Retentio eſt modus defenſionis, quo rem alienam, contra Dominum vindicantem, tenemus, donec nobis de debito, vel jure noſtro, ſatisfiat. Zang. *de Except. p. 3. c. 13. n. 26.*

LXI. Olim valde frequens fuit retentio; hodie non niſi certis caſibus permiſſa: ut in cauſa pignoris, idq; duobus modis; *l. 1. in pr. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. ſolv. l. unic. C. etiam ob chirogr. pec. pign. retin. poſſe.* & in cauſa impenſarum in rem alienam factarum. *d. l. 38. l. 39. §. 1. ff. de petit. hered. d. l. 37. ff. de Rei vind. d. l. 33. ff. de condict. ind. l. 14. ff. de Except. l. 8. in pr. ff. de pign. act.*

LXII. Re-

LXII. Retentio ob impenſas vel ipſo jure competit vel per exceptionem, vel per officium judicis *d. l. 38. ff. de petit. hered. l. 21. ff. de rei vindic. l. item. 33. Inſt. de act.*

LXIII. Ipſo jure retentionem habet maritus ob impenſas neceſſarias in rem dotalem factas. *d. §. item. Inſt. de act.* non itaque opus eſt exceptione doli, ipſo enim jure minuunt dotem.

LXIV. Non ideo tamen retentio ſublata in hac ſpecie per *l. unic. § 5. verſ. ſed nec ob impenſas. C. de rei uxor. act.* ut Cujacius quidem vult *ad l. impenſæ. 79. ff. de V. S.* quæ promulgata eſt ante conſtitutionem de conceptione Digeſtorum.

LXV. Generaliter enim verum eſt, neceſſarias impenſas dotem minuere, non tamen illa dotis minutio ſtatim corpora diminuit. *l. 5. ff. de impenſ. in res dot. fact.* ſed corporibus non diminutis, dos, ſive univerſitas dotis minuitur, & ita minuitur dotis petitio, ut proinde neceſſe ſit, quod doti decedit, id maneat apud maritum, ſicq; ipſo effectu impenſas has in quantitate deducta retineat, non exceptionis ope, ſed imminutæ actionis defectu: ut proinde Imperator non appellet retentionem, ſed quaſi retentionem. *d. § 37. Inſt. de act.*

LXVI. Hæc retentio marito competit, quamvis donandi cauſa impenderit, aut impenſas remiſerit. *l. 11. § 1 ff. de impenſ. in res dot. fact.*

LXVII. Aut convenerit ne ob impenſas agatur. *l. 5. §. 2. ff. de pact. dot.*

LXVIII. Retentionem per exceptionem habent, quibus actio competit: facilius enim datur retentio quam actio. *l. 1 in pr. ff. de pign. l. 156. § 1. ff de reg. jur. l. 8. in pr. ff. de pign. act. l. 1. § 4. ff. de ſuperfic.* Zang. *de except. p. 3. c. 13 n. 25.*

LXIX. Retinent itaque pignus, creditor. *l. 8 ff. de pign. act.* rem locatam, colonus. *l. 12. ff. de vi & vi arm.* Sic non ſoluta mercede, calceos, veſtes, tabulas pictas &c ſutores, ſartores pictores, & ſimiles. DD. *in l. 26. §. 4. ff. de condict. indeb.* Bald. *in l. ult. C. commod.* Gail *2. obſ. 12. n. 5.* Mayr. *tr. de pign. tit. 5. n. 15.*

LXX. Excipitur maritus, qui ob impenſas utiles non habet retentionem, licet actionem mandati vel negotiorum geſtorum. *l. unic. §. 5. C. de rei uxor. act. l. 7. §. 1. ff. de impenſ. in res dot. fact.* idq; favore dotis: ne ea mulier diutius carere cogatur. Weſenb. *par. ff. de imp. in res dot. fact. n. 3.*

LXXI. Num & depoſitarius? Ita volunt nonnulli per *l. 11. C. depoſ.* contrarium tamen de jure eſt verius. Non enim ei denegatur juſtus hic defendendi modus, loquiturq; dicta *l. 11.* principaliter de compenſatione, & ſic conſequenter de deductione, ex eadem ſc: cauſa: excluſa autem exceptione compenſationis, non excluditur retentio, nam & actione favorabilior eſt. Steph. Grat. *tom. 4. diſcept. for. c. 728. n. 32.* & quos ibi allegat. Ceph. *conſ. 658. n. 26 lib. 5.* Card. Mantic. *de tac. & ambig. conv. 10. tit. 10. n. 24.* Molign. *de retent. q. 51. 52.*

LXXII. Retentionem hanc habent & poſſeſſores, quibus tamen nulla competit actio ob impenſas. *l. ſi in area. 33. ff. de condict. indeb. l. 14. § 1. ff. comm. divid. l. Paulus. 14. ff. de except. dol. mal.*

LXXIII. Et quidem ex ſumma æquitate, quæ vult, neminem locupletari cum alterius jactura. *l. 48 ff. de rei vind. l. 14. ff. de condict. indeb.* ejus præſertim cui nihil imputari poteſt, *l. jure naturæ. 206. ff. de R. I.* Ant. Fab. *ad l. 27. § 5. ad verba: per doli mali &c. ff. de rei vindic.*

LXXIV. Rectè itaque objicit domino vindicanti, exceptionem doli poſſeſſor, qua removetur omnis, qui ſubtilitate juris nixus, contra æquitatem naturalem aliquid petit. *l. 1 ff. de dol. & met. except.* Donell. *ad l. 16. C. de evict.*

LXXV. Ita fit, ut qui ſumptus exceptione doli mali per retentionem ſervantur, iidem ſerventur æquitatis ratione, quæ hanc exceptionem & retentionem inducit. *l. 48. ff de rei vindic.* Donell. 20 *comm. 7.*

LXXVI. Impenſæ quæ hac exceptione ſervantur inprimis ſunt neceſſariæ. *l. 38. ff. de petit. hæred. l. 5. C. de rei vind. l. 8. in pr. ff. de pign. act.*

LXXVII. Æquitas hujus retentionis manifeſta eſt; aperte enim ex his impenſis lucrum facit, qui propter eas rem ſalvam habet, quæ alioqui peritura fuerat, aut deterior futura. *l. impenſæ. 79. in pr. ff. de V. S. d. l. 38. ff. de petit. hæred.*

LXXVIII. Quare & malæfidei poſſeſſori rectè tribuimus, ut cui nulla culpa imputari poteſt, cur has impenſas fecerit. *l. domum 5. C. de rei vind. l. Julianus. l. ſumptus ff. eod.* Eguin. Baro *ad §. ex diverſo. Inſt. de rer. diviſ.* Donell. 20. *com. 7.*

LXXIX. Modo non furto neque vi poſſeſſionem rei alienæ adeptus fueris. *l. 1. C. de infant. expoſ.* Gilk. *de impenſ. p. 2. c. 7. n. 24. & ſeqq.* Boc *claſſ. 5. diſp. 6. th. 16.* Elias Rob. *diſp. 7. Inſt. th. 11.* Tim. Fab. *diſp. Inſtit. 13. th. 12.*

LXXX. Non obſtat *l. plane 38. ff. de petit. hæred.* ut quæ loquitur de petitione hæreditatis, quæ eſt bonæfidei, cui ipſo jure ineſt exceptio doli, ideoq; nec opus eam allegare; ſecus in ſtricti juris judiciis & arbitrariis, in quibus doli exceptio exprimi debet, tam à malæ quàm à bonæfidei poſſeſſore. *l. 14. ff. de dol. & met. except. l. 14. §. 1. ff. comm. divid. l. 13. ff. de publ. in rem act.* Eguin. Baro. *ad §. ex diverſo. Inſt. de rer. diviſ.* Tim. Fab. *diſp. Inſtit. 13. th. 13.* Ant. Fab. *ad l. 48. ad verb. exceptione doli &c. ff. de rei vind.* Fulg. *ad l. plane. ff. de rei vindic.*

LXXXI. Diſſ. Sichard. *ad l. 5. C. de rei vind.* Bald. *ad l. plane ff. de hæred. petit.* Garſ. *tr. de expenſ. c. 5. n. 17.* Cyn. *ad d. l. 5. C. de R. V.* qui malæfidei poſſeſſorem nunquam juvari exceptione doli putant, ſed tantum officio judicis. Aliter Ant. Fab. *ad l. plane. ff. de hæred. petit.* qui diſtinguit inter malæfidei poſſeſſorem ſimplicem & prædonem, huic exceptionem tribuit, illi verò denegat, ut qui donare voluit. Aliter Jo. Ferr. Mont. *ad § ex diverſo. Inſt. de rer. diviſ.* qui diſtinguit inter melioramenta facta in faciendo & reficiendo, hæc repetere poſſe malæfidei poſſeſſorem, illa non item.

LXXXII. Nihil autem intereſt an factæ ſint à nobis, an verò ab illo, à quo cauſam habemus. *l. 14. §. impendia. ff. comm. divid.* vel ab extraneo, modo is animum habuerit nobis gratificandi. *arg. l. 9. §. 1. ff. ad SCtum Maced.* Menoch. *de recup. poſſeſſ. remed. 15. n. 509.*

LXXXIII. Nul-

LXXXIII. Nullane ergo differentia eſt inter bonæ & malæ fidei poſſeſſorem quoad has impenſas? nulla ſane, ſi res exſtat; item ſi interierit, & agatur rei vindicatione: ſecus ſi petitione hæreditatis, in qua bonæ fidei poſſeſſor impenſas deducit retinendo aliam rem hæreditariam, malæ fidei poſſeſſor non item *l. plane. 38. ff. de petit hæred.* Bocer. *claſſ. 5. diſſ. 6. th. 17.* Zang. *de except. cap. 13. n. 40. pag 3.* Diſs. Menoch. *de recuper. poſſeſſ. remed. 15. n. 512*

LXXXIV. Ut neceſſarias ita & utiles Impenſas in petitione hæreditatis poſſeſſores absque diſtinctione deducunt. *l plane. 38. ff. de hæred petit. & ibi* Ant. Fab Eguin. Bar. *ad §. ex diverſo. Inſt. de rer. diviſ.*

LXXXV. Non item in rei vindicatione, in qua bonæ fidei poſſeſſor has regulariter deducit, malæ fidei poſſeſſor nequaquam. *l. 5. C. de rei vind. l Julianus ff. eod.*

LXXXVI. Illi enim nihil imputari poteſt, qui ſumptus bona fide in rem quidem alienam fecit, ſed quam tamen putabat eſſe ſuam; Huic è contrarió imputari poteſt, cur ſciens in rem alienam ultro impenſas fecerit, quas facere non cogebatur. *l Julianus ff. de rei vind. §. ex diverſo. Inſt. de rer. diviſ. l plane ff. de hæred. pet.*

LXXXVII. Diſſ. Cujac. qui putat malæ fidei poſſeſſorem utiles impenſas deducere poſſe ex æquitate, non jure ſtricto.

LXXXVIII. Sed cur in petit. hæreditatis datur malæ fidei poſſeſſori retentio, non autem in rei vindicatione? rationem diverſitatis hanc eſſe ajunt DD. nempe quod is, qui agit petitione hæreditatis, non ſtatim ſit dominus rei hæreditatis, cum fieri poſſit, ut defunctus non fuerit dominus; qui autem agit rei vindicatione, verus ſit dominus rei, ideoque æquum eſſe, ut petitor hæreditatis impenſas refundat, non autem petitor rei ſingularis.

LXXXIX. Verum Anton. Faber *ad l. plane 38. ff. de hæred. petit*, nunquam permittendum eſſe prædoni ait, nec magis in petitione hæreditatis, quam in rei vindicatione, ut impenſas utiles a ſe factas poſſit deducere, dictamque legem 38. Tribonianismum ſapere exiſtimat.

XC. Bonæfidei poſſeſſor ergò tantummodo deducit utiles impenſas & quidem ſi tam dives eſt petitor, ut non ideò re ſua carere cogatur, abſque diſtinctione, ipſe eas facturus fuiſſet, vel non *l. 38 ff. de rei vind. & ibi* Ant. Fab.

XCI. Unicus eſt caſus, quo non admittitur deductio, nimirum ſi tam pauper ſit petitor, ut non habeat unde poſsit impenſas ſolvere. *L. 38. d. 27 §. 5. in fine. ff. de rei vind.*

XCII. Æquius namque eſt poſſeſſorem jacturam impenſarum facere, quam ut dominus cogatur laribus ſepulcrisque avitis carere. *l. 38. ff. de rei vind.* Ant. Fab. *ad l. 29. & d. l. 27 §. ult. ff. eod.* Zang. *de except. p. 3. c. 13. n. 50.*

XCII. Neque poteſt domino imputari quicquam cur non citius egerit, dummodo agat ante uſucapionem completam: idque ex alia juris regula: nemo invitus agere cogitur, quamdiu ſcit jus ſuum durare. *tit. Cod. ut nem. invit. ager. vel acc. cog.*

XCIII. Niſi ſi quid ab eo factum probetur, decipiendi poſſeſſoris gratia, non enim careret dolo, qui agere diſtuliſſet ob hoc ipſum, ut bonæfidei poſſeſſorem quem videbat in ſervum erudiendum impendere, damno impenſæ adficeret Anton. Fab. *ad l. 27. §. ult ff. de rei vindic.*

XCIV. Sed dicta exceptio duas rurſus habet limitationes, unam, ſi pauper ille petitor habeat rem venalem. *l. 29. ff. de rei vindic.*

XCV. Hoc enim caſu incipit ceſſare contraria æquitas, cum dominus re ſua carere vult, volenti autem non fit injuria. Ant. Fab. *ad l. 29. ff. de rein vind.*

XCVI. Alteram, ſi petitori ante litem conteſtatam denuntiatum ſit, ut ſolveret, isque diſsimulaverit. *l 30. l. 38. in fine. ff. de rei vind & ibi* Ant. Fab.

XCVII. Et hoc ideo, quod is qui in re ſua monitus, ita tacuit, conſenſiſſe intelligatur, *arg. l. 18. ff. mand.* Donell. 7. *comm.* 20.

XCVIII. Voluptuarias malæfidei poſſeſſor non deducit. *l. 39 §. 1. ff. de heredit. petit.*

XCIX Ut

XCIX. Ut nec bonæfidei poſſeſſor in vindicatione, *l. 2. l. 5. C de rei vind. l. 37. l. 38 ff. eod.*

C. Secus in petitione hæreditatis. *l. 38. §. 1. ff. de hæredit. petit.* Eguin. Bar. *ad §. ex diverſo. de rer. diviſ.*

CI. Sed nec in hac actione exceptionem dandam eſſe, æquum videtur.

CII. Omnis enim impenſarum deductio cum naſcatur ex hac cauſa, ſi petitor ex his lucrum faciat, idque teneat cum jactura poſſeſſoris. *d. l. 38. ff. de petit. hæred. l. 14 ff. de condict. indeb.* Perſpicuum eſt, ex quibus impenſis nullum lucrum eſt petitori, earum nullam eſſe poſſe deductionem: Voluptuariæ autem ſunt impenſæ ſine fructu. *l. 79. § ult. ff. de V. S.* Donell. *7. comm. 20.*

CIII. Regulariter itaque danda non eſt bonæfidei poſſeſſori deductio ob impenſas voluptuarias, niſi fiant utiles ex voluntate petitoris; tunc enim dicitur petitori, tu tua voluntate ex his lucrum facis *l. 38. ff de rei vind. l. 29. l. 30. ff. eod.*

CIV. Idque duobus modis maxime contingit; Uno, ſi probetur, petitorem idem facturum fuiſſe, tunc enim pecunia in rem ejus verſa intelligitur. *l. 3. §. 6. ff. de in rem verſ.*

CV. Altero, ſi rem in quam factæ, venalem habeat, & propter impenſam plus conſecuturus eſt. *d. l. in fundo. 38. ff. de rei vind.* Donell *7. comm 20.*

CVI. Hæ ſunt impenſæ, quæ ſervantur per retentionem, oppoſita doli mali exceptione: Nihil autem intereſt, qua parte judicij hæc exceptio proponatur, imo etiam poſt condemnationem opponi poteſt; non enim impugnat ſententiam. *l 7. §. fin. Sol matr l. 41. §. 1. ff de fidejuſſ.* Bald. *ad l. 83. n. 16. ff. de rei vind.* Garſ. *h. tr. c. 6 n. 13. & 15.* Gilk. *p. 5. de impenſ. c. 1. n. 9.*

CVII. Exſecutio itaque ſuſpenditur, retinetq; poſſeſſor rem donec expenſæ taxatæ & ſolutæ ſunt; quæ taxatio etſi non ita cito expediri queat, non idcirco poſſeſſio auferenda, nec ſi victor offerat ſatisdationem; niſi moram fecerit reus in proſequenda judicati exſecutione & ſumptibus declarandis. Ant Fab. *in Codice ſuo tit. de rei vind.* Negus. *tr. de pignor. 4. membr. 5. part.*

part. n. 9. concl. adde Hillig. ad Donell. *lib. 20. comm. 7. lit. K.*

CVIII. Per officium judicis retinent rem poſſeſſores, in bonæfidei judiciis; ut eſt petitio hæredit. & quidem ob eas impenſas quas per exceptionem doli ſervant. *l. ult. ff. de hæredit. petit*

CIX. Nam in iis actionibus, per officium judicis ſuppleri ſolent omnes exceptiones, maximè verò doli. *l. 21 ff. Solut. matr. l. 84. §. qui ſervum ff. de Legat. 1.*

CX. Non item in arbitrariis, quæ potius ſunt ſtricti juris; quale eſt judicium vindicationis, in quibus nullus officio judicis locus relinquitur, niſi quantum ad arbitrium, quod vel abſolutionem præcedere debet, vel condemnationem, & quantum ad fructus poſt litem conteſtatam præceptos. *§. 1. Inſt. de Offic. Jud.* Diſſ Goth. *in not. ad l. plane. ff. de rei vind.* Garſ. *tr. de expenſ. c. 2. & 3* Boc. *claſſ. 5. diſp. 6. th. 21.*

CXI. Ablatio eſt ultimum & extremum remedium quo impenſæ ſervantur, quòd & ex æquitate datur ne petitor locupletior fiat. *l. 39. ff. de petit. hered.*

CXII. Hoc remedio ſervat bonæfidei poſſeſſor utiles & voluptuarias impenſas, quas deducere non poteſt. *l. 38. ff. de rei vind. l. 27. §. ult. ff. eod. l. 9. ff. de impenſ. in res dot. fact.*

CXIII. Item & malæfidei poſſeſſor, tum utiles tum voluptuarias. *l. 2. l. 5. C. de rei vindic. l. Julianus 37. ff. eod. l. 39 §. 1. ff de hered. petit. l 31. § 4. & 5. ff de admin. & peric. tut* Bocer. *claſſ. 5. diſp. 6. th. 26.* Alciat. *ad l. impenſæ. 79. ff. de V. S.* Gilken. *de impenſ. part. 4. cap. unic.*

CIV. Etſi enim exceptio doli, malæfidei poſſeſſori denegetur ob has impenſas, cum culpa ei objici poſſit, tamen poteſtas tollendorum omnium, quæ tolli poſſunt, ei non denegatur; quoniam in eam rem nullo exceptionis doli auxilio eſt opus, ſufficiente arbitriò & officio judicis. *d. l. 37. ff. de R. V. d. l. 39. § 1. ff. de hared. pet. l. 19. §. 5. ff. Loc. d. l. 9 ff. de impenſ. in res dot fact.*

CV. Diſſ. Cynus, qui diſtinguit inter impenſas utiles, quæ in faciendo conſiſtunt, & quæ in reficiendo, has tollere poſſe.

illas

illas non item *ad l. domus. C. de rei vind.* Diſſentiunt quoque DD. communiter, qui diſtinguunt inter vindicationem & hæreditatis petitionem, in hac jus ablationis malæfidei poſſeſſori concedunt, in illa non item. Mudæus ad *l. 39 ad verba: ut tamen &c. n. 4. ff. de hæredit. petit.*

CVI. Sed quanquam diverſitas eſt in his judiciis, ratio tamen eadem, ob quam in petitione hæreditatis ablatio conceditur, locum habet in vindicatione, quod nemo ſc. cum aliena jactura lucrum appetere debeat. *d. l. 38 ff. de petit. hæred.* Gilken. *de impenſ. p. 2. cap. 4. n. 46. & ſeqq.* imo & in vindicatione non aliter conſtitutum eſt. *d. l. 31 §. 4. & §. 5. ff. de adm. & peric. tut.*

CVII. Non obſt. *l. 7. §. 12. ff. de A. R. D. & § ex diverſo. 30. Inſt. eod.* Loquuntur enim de diverſis caſibus, & quidem, in principio, de eo caſu, cum quis in alienum ſolum, quem non poſſidet, ſciens ſumptus facit, quos non repetit, quia donaſſe præſumitur. *l. 27. § ſi olivam ff. ad l. Leg. Aquil.* Deinde *in verſic. certe &c.* de eo, qui in rem quam poſsidet, ſumptus facit, quo caſu bonæfidei poſſeſsori exceptio doli tribuitur, malæfidei vero poſſeſsori denegatur, non tamen ideo & jus ablationis. *l. 37. ff. de rei vind. l. 39. § 1. ff. de petit. hæredit.*

CVIII. Notandum autem, quod cum jus concedit alicui tollere impenſas, id non ſimpliciter intelligendum, ſed ſubjectis limitationibus.

CIX. Primò. Si abſque rei detrimento tolli poſsint. *l. 38. ff. de rei vindic. l. 3. §. 4 ff. de in rem verſ.*

CX. Et ideo, cum jus concedit conductori auferre impenſas, contra legem locationis factas, adjicit limitationem; ut ſc. damni caveat, ne in aliquo dum aufert deteriorem cauſam ædium facjat, ſed ut priſtinam faciem ædibus reddat. *l. 19 § 4. ff. Locat.*

CXI. Quare huic remedio facile locus eſt, in area ædificata, ſed non in puero inſtructo. *l. 27 §. ult. ff. de rei vind.* Ant. Fab. *ad d. l. 27 §. ult.*

CXII. Secundò, ſi paratus eſt dominus tantum dare. quantum

tum

tum habiturus eſt poſſeſſor rebus ablatis, tum nihil tollere poteſt. *l.38, ff. de rei vindic.* Donell. 7. *comm.* 10. Pac. *meth. jur. tit. de rei vindic. c.6. n.51.*

CXIII. Quod procedit, etiamſi pactum fuerit appoſitum, ut omnino tollere & abradere liceat. *d. l.38. ff. de R V.* Zang. *de except. p.3. cap.13. n.29.* Garſ. *de expenſ. c.1. n.33.*

CXIV. Tertiò, ſi rebus ablatis aliquid eſt conſecuturus. *d. l.38 ff. de R.V.*

CXV. Si dominus rem poſſideat vel non habeat quod poſſit retinere petitor, ut ſi res interierit & impenſas repetit actione ejus contractus ex quo negotium geſſit. *l.5 in pr ff. de pign. r. act.*

CXVI. Æquum eſt enim cum domino teneatur ob negotium geſtum, quatenus ſc. res vel interiit, vel deterior facta, ejus dolo vel culpa, ut etiam repetat actione contraria, id quod neceſſariò, vel utiliter impendit in rem alienam *l. ſi quis ff. de negot. geſt.*

CXVII. Rectè itaque repetit negotiorum geſtorum actione contraria id quod neceſſario & utiliter impendit. *l.2. d. l. ſi quis. ff. de negot. geſt.*

CXVIII. Nihilq; intereſt, res exſtet ſive interierit, modo ſine illius culpa. *l.13. § 22 ff. de act. empt. l.58 ff. de hæredit. petit.*

CXIX. Nec refert, ſi effectum non habuerit, modo utiliter cœptum & geſtum fuerit, quamvis enim eventus non ſpectetur, debet tamen utiliter eſſe cœptum negotium, nec ſufficit propoſitum utiliter gerendi. *l. 10. §. 1 & ibi* Ant. Fab *ff. de neg. geſt.*

CXX. Nec intereſt, ſive ſciat, ſive ignoret ad quem res pertineat *l. in hoc judicium § 1. verſ. diverſum ff. commun. divid.* Bocer. *claſſ. 5. diſp. 6. th. 28.*

CXXI. Modo non impenderit plus quam oportet, *l.31. §.4 ff. de neg geſt l.25. ff. eod. l.50. § 1. ff. de petit. hæred.*

CXXII. Tunc enim repetit tantum id quod præſtari oportuit. *d. l.25. ff. de neg. geſt.*

CXXIII. Conſequitur itaque actione negotiorum geſtorum quicquid ei abeſt, ad ultimum usque quadrantem *l.12. ff. de impenſ. in res dot. fact.* Ant Fab. *ad l.18 §.2 ff commod.*

CXXIV. Niſi

CXXIV. Niſi ſui commodi & lucri cauſa negotium geſſerit: quia enim improbe ad illud deprædandi nempe cauſa, acceſſit, non in id quod ei abeſt, ſed in quod dominus locupletior factus eſt, habet contra illum actionem. *l.6. § 3 ff de neg.geſt.*

CXXV. Tutor quoque cum cogatur defendere & tueri pupillum, ejusq; bona adminiſtrare, ut bonus paterfamilias. *l generaliter.10. ff de admin tut.* & curare ut moribus inſtruatur. *l 12. §.3. ff eod* repetit tum ea quæ in perſonam & res pupilli, tum quæ in ſuam perſonam peregrè profectus pupilli cauſa, impendit *l.1. §.9 ff de tut. & rat.diſtr.*

CXXVI Etenim provocandi fuerant tutores, ut promptius de ſuo aliquid pro pupillis impendant, dum ſciunt ſe recepturos id. quod impenderint *l.1.in pr. ff de adm.& peric.tut.*

CXXVII. Non refert, quod plus in eum impendit, quam eſt in facultatibus, ſi modo expediat pupillo & tutor ex officio & bona fide ſumptus fecerit *l.3 in pr. ff. de contr.tut.act.l.1.§.4. & §.§.ſeqq. ff. de tut & rat diſtrab.*

CXXVIII Si enim non expedit, abſolvitur pupillus *l. 1. §.4 ff.eod.* ut ſi ſuſcipit lites, in quibus plus impendendum, quam ultimo judicio conſequi poteſt; nam ob rem modicam, non ſunt faciendæ majores impenſæ, nec in hoc adminiſtrantur tutelæ, ut mergantur pupilli. *l.3 ff de contr tut act.*

CXXIX. Nec refert, ſi eventum adverſum habuit quod geſtum eſt; ſi modo benè & diligenter rem geſſerit. *l.3. §. ſufficit ff. de tut. & rat. diſtr. l 38 ff. de petit.hæred.*

CXXX. Nec opus ut pupillus actionem tutelæ inſtituat, ut contraria agere poſſit ad impenſas. *l.1. § ult. ff de tut. & rat. diſtr.*

CXXXI. Sicut tutor, ita protutor, & omnes curatores, impenſas hac actione repetunt. *l.1. §. 1 ff eod.*

CXXXII. Neceſſe autem eſt, ut hi omnes in librum rationum, quem omninò tenentur conficere, impenſas, ſicut & accepta, referant. *l.1. §.3. ff. eod.*

CXXXIII. Liber hic, continere debet ſigillatim, perſpicuè & diſtinctè impenſas omnes & ſingulas, quid, quantum, cui, quo

die, menſe & anno, expenſum ſit, licet tempus non ſemper requiratur, imò omnia minutiſsima capita accepti & expenſi.

CXXXIV. Et hoc ideo, ut explorari poſsit, an accepta rectè relata, an impenſæ ex officio factæ & bona fide, ut rationes conferri poſsint, computationeq; facta, conſtet quid alteri adhuc ſit præſtandum. *l. 11. ff. de condit. & demonſtr. l. 6. §. 7. ff. de ſtat. liber.* & hoc eſt quod dicitur in *l. 40. §. 7. ff. eod. & in l. 37. ff. de fideic. libert.* ex fide rationes reddere.

CXXXV. Unde ſi liber rationum & expenſarum non diſtinctè hæc omnia continet, ſed confuſus eſt, ut rationes diſpungi & concludi non poſsint, nihil probat, & perinde habetur, ac ſi confectus non eſſet. *l. 40. §. 16. ff. de ſideic. liber. d. l. 6. §. ult. ff. de ſtat liber.*

CXXXVI. Emptor ſicut pretium tradere, nummosq; facere venditoris tenetur, item ſumptus reddere, quos venditor fecit in rem venditam, ante traditionem, quosq; emptor vereſimiliter fuiſſet facturus. *l. 13. §. 22 ff de act empt. l. 11. § 2. ff. eod.*

CXXXVII. Ita venditor tradere rem venditam cogitur, & ſi evicta fuerit in id quod intereſt tenetur. Actione autem ex empto in id quod intereſt & impenſæ continentur. *l. 43 verſ. de ſumptibus vero &c. ff. de act empt.*

CXXXVIII. Impenſas itaque hac actione à venditore repetit; ſi modo non ſint immodicæ, quasq; ipſe venditor facturus non fuiſſet, cum forte mediocrium facultatum ſit. *l 43, in fine, l. 44. ff. de act. empt.*

CXXXIX. Imò ultra duplum, periculum emptorem nunquam ſubire oportet. *d. l 44.* i. e evicta re intereſſe impenſarum, ab emptore factarum extra judicium, non debet excedere duplum pretii conventi vel communis. *l. unic. C. de ſent. quæ pro eo quod inter.* Goth. *in not. ad d. l. 44.*

CXL. Niſi aliter convenerit. *l. 56. ff. de evict.* vel venditor ſciens rem aliam vendiderit. *l. 45. §. 1 verſ. in omnibus ff de act. empt.* his caſibus enim omnes impenſas repetit.

CXLI. Hæc quæ diximus ita procedunt, ſi emptor à domino vindicante, qui ſumptus merito debet refundere cujus fundus melior

melior eſt factus, retentione conſervare non potuit. Mudæus *ad l. plane n. 24 ff. de petit. hæredit.*

CXLII. Ut ſi non poſsidebat, utputa quia res vendita erat, vel poſſeſsionem rei amiſerat, ſine culpa tamen. *l. 45. §. 1. verſ. quòd ſi ff. de act. empt.*

CXLIII. Secus E. ſi ſua culpa poſſeſsionem amiſit, ut quia retentione non uſus; cum enim ſubmovere potuit dominum, rem vindicantem, magis eſt, ut ea res ad periculum venditoris non pertineat. *l. 45. §. 1. ff. de act. empt.* Pac. *tit. de contr. empt. n. 262.*

CXLIV. Niſi emptor ſciens vendidit rem alienam, utiliter nihilominus ex empto agere poterit. *d. l. 45. §. 1. verſ. in omnibus. ff. de act. empt* Pac. *d tit n. 262.*

CXLV. Conductor, cum tenetur finito tempore locationis, rem reſtituere non deterioratam, *l 19 ff Loc.* æquum eſt, ut quod neceſſariò & utiliter impendit, ipſi reddatur à domino. *l. 55. §. 1. ff. eod.* etiamſi non convenerit. *d. l. 55. §. 1.* cum dominus teneatur alias præſtare id, ſine quo conductor commode uti re locata non poteſt. *l. 15. § competit. 1. & ibi DD. communiter. ff. eod.*

CXLVI. Modò non contra legem locationis, malaq; fide impenſas fecerit, ut quæ gravant dominum, quas & dominus ipſe facturus non fuiſſet. *l 19 §. 4. ff. Loc.*

CXLVII. Mandatarius poſtquam recepit in ſe negotium alterius, neceſſario id gratis exequi tenetur. *l 17 § 3 ff. commod.*

CXLVIII. At actione contraria, quod impendit ejus exequendi gratia, repetit, licet effectum non habuerit. *l. 4. C. mand.*

CXLIX. Sicut enim lucrum non ſentire debet, ita nec damnũ. *l. 20. in pr. ff. mandat.* utrumq; exigit bona fides. *l. 10 §. 3. ff eod.*

CL. Nihil verò intereſt, expreſſum ſive tacitum habuerit mandatum, ut vidente & patiente principali; nam qui patitur & ſcit negotia geri ab alio, is mandaſſe videtur. *l qui patitur. ff. mand. l. 6. C. eod.*

CLI. Nec refert ſi dominus non fuiſſet facturus tantas impenſas. *l. 27. §. 4 ff. mandat.*

CLII. Non omnia tamen, quæ impenſurus non fuit creditor, mandatori imputabit, veluti, quod ſpoliatus ſit à latronibus,

aut naufragio res amiſerit, vel languore ſuo ſuorumq; apprehenſus quædam erogaverit, nam hæc magis caſibus quam mandato imputari oportet. *l. 26. § 6 ff. eod.* Mudæus *ad l. ſi in eod̃enda §. quidam n 6 ff pro ſo:*. Bald Fulgoſ. *ad d.§.6.*

CLIII. Sed hunc §. 6. à bono & honeſto mandatore non obſervari ait Accurſius, *ad d. l. 26* quod & placet Gothofredo *in notis ad d. § 6.*

CLIV. Sumptus itaque tam neceſſarios quam utiles, bona fide, exequendi mandati gratia factos, repetit: Imò antequam exequatur judicio mandati contrario agere poteſt, ut ſumptus neceſſarij præſtentur. *l. 12. §. fin. ff. mand.* Weſenb. *par. ff. eod n. 11.*

CLV. Creditor quoque cum ea præſtare teneatur, quæ diligens paterfamilias in ſuis rebus. *l. 14. ff de pign. act.* merito & repetit impenſas neceſſarias & utiles contraria pignoratitia actione. *l. 8. in pr. ff. de pign. act.*

CLVI. Modo non ſint debitori oneroſæ, ſed ab eo facilè ferri poſsint, ut ne propterea cogatur rem pignoratam vendere. *l. 25. ff. eod.*

CLVII. Non poteſt quidem creditori imputari, cur in pignus impenderit, qui, ſi neglexiſſet impendere, de dolo, aut ſaltem de culpa levi, eo nomine ſe obligaſſet. *d l. 25.* ſed non debet eo prætextu talem efficere rem pignoratam, ut gravior fiat debitori pignoris luitio, id enim jam contra bonam fidem eſt: iniquum enim eſt in eas anguſtias redigi miſerum debitorem, ut vel novos creditores quærere cogatur, vel pro immoderatis ſumptibus pignus diſtrahere, vel creditori derelinquere, quod receptum & recuperatum velit. *d. l. 25. & ibi* Ant. Fab. *ff. de pignor. act.*

CLVIII. Cauti itaque ſint creditores, ut antequam impenſas faciant, domini conſenſum requirant, aut judicis, cum cauſæ cognitione; ne videantur oneraſſe debitorem. *d. l. 25.*

CLIX. Sic commodatarius, actione commodati contraria, repetit majores impenſas, ut valetudinis, & fugæ. *l. 18. §. 2. ff. commod.*

CLX. Non immodicas; ut & cibariorum impenſas, quæ naturali ratione ad eum pertinent, qui utendum accepit. *d l. 18. §. 2.*

CLXI. Qui

CLXI. Qui in rem communem impendit, diverſis actionibus id repetit, prout communio nata.

CLXII. Aut enim eam conciliavit conſenſus ſive voluntas, vel res ipſa, vel, quod idem; Societas coita eſt tractatu habito, vel ſine tractatu, re ipſa. *l. 32. ff. pro ſoc.*

CLXIII. Illa propriè ſocietas vocatur, à Papiniano, voluntarium conſortium, in *l. 52. §. 8. ff. pro ſoc.* à DD. conventionalis ſocietas. Hæc impropriè ſocietas vocatur, ſed potius communio, *§. 3. Inſt. de oblig. quæ ex q. contr. naſc.* à DD. ſocietas incidens.

CLXIV. Illa inter contractus proprios refertur, hæc inter improprios. *§ 3. Inſtit. de obl. quæ ex q. contr. naſc.* Illa eſt volentium, hæc non nolentium ſed ignorantium, imò etiam ſæpe nolentium, *l. cum pater 77. §. ſurdo. 3. ff. de Leg. 2* Mudæ. *ad l. ut ſit. n. 1. ff. pro ſoc.* Ex illa oritur actio pro ſocio, ex hac communi dividundo. *d. § 3.*

CLXV. Societate contractâ, ſocius, actione pro ſocio, repetit impenſas ſocietatis cauſa factas. *l. 38. l. 52. §. 13. ff. pro ſoc.*

CLXVI. Societas autem non eſt unius generis, contrahitur enim vel reſpectu univerſorum ſive totorum bonorum ſive fortunarum *l. § 1. l. 3. §. 1. l. 52. §. 16. & ult. l. 5. in pr. l. 36. in pr. l. 37. l. 65. ff. pro ſoc.* vel nominatim rei unius, certarum rerum, aut negationis cujusdam. *l. 5. in pr. l. 7. ff. pro ſoc. pr. Inſtit. eod.*

CLXVII. Si ſocietas omnium bonorum contracta, regulariter omnes impenſæ ad illam pertinent, dummodo non deſcendant ex maleficio, dolo, culpave ſocij.

CLXVIII. In hac enim non inſpicitur, an aliquid ſit factum nomine ſocietatis, ſed ſolum an ſit factum ſine dolo & culpa. *l. 52. § 16. & l. ſeq. ff. pro ſoc. l. 39. §. 5. ff. fam. erciſc.*

CLXIX. Unde infirmitatis impenſas repetit ſocius omnium bonorum. *l. 52. §. 16. ff. pro ſoc.*

CLXX. Et quæcunque erogavit in honorem filij pro militia, vel doctoratu, vel feſtivitate nuptiarum. *l. 39. §. 3. ff. famil. erciſc. l. ſi fratres. 52. § idem Papinianus. l. 73. §. 1. ff. pro ſoc.* Fr. Mantic *de tac. & ambig. convent. lib. 6 tit. 19 n. 5.*

CLXXI. Num vero & id, quod filiæ in dotem dedit? gravis & difficilis eſt quæſtio. Negantium opinionem, ut magis commu-

communem, amplectitur Soz. ſenior. *conſ 46 n. 1 lib. 1.* ſed affirmativam, ut fortioribus rationibus ſuffultam, & magis æquam, tuetur Hieron. Zann *in conſ. 6. lib 4. n. 1* Imò ut magis communem Bapt. de Hieron Macerat. *in conſ. quod reperitur apud* Mozzium *ſub tit de ſoc.* Utramque opinionem ſine peccato teneri poſſe, exiſtimat Petr. de Vbald. *tr de duob fratr p. 6. q. 9.* Nos, quamvis utraque opinio rationibus & Doctoribus non careat, affirmativæ tamen, ut juri magis conſentaneæ, merito ſubſcribimus. *arg. l. 72. §. 1. l. cum duobus. §. idem Papinianus. §. &* §. *18. l. 18. l. 66. l. 12. ff pro ſoc.*

CLXXII. Sicut enim lucrum, ita & damnum commune eſſe debet, quod non culpa ſocij contingit; jam ſocius quicquid acquirit per filiam, ſocietati acquirit; ergo, quicquid impendit in filiam ſocietati imputat, quod enim juris in lucro, de damno etiam intelligitur. *l. 67. in pr. ff. pro ſoc. l. 52. §. 4 in fin. ff eod.*

CLXXIII. In cæteris ſocietatibus, damna & impenſas ſocius ſentit, quæ ſocietatem ipſam reſpiciunt: quæ autem extra ſocietatem veniunt, non pertinent ad ſocietatem. *l 52. §. 15 ff pro ſoc.* Mozz *de contr. tit. de ſociet. col. 4. n. 13.*

CLXXIV. Unde ſocietate ſimpliciter contracta ſocius non repetit, quod filiæ in dotem, vel filio in ſubſidium ſtudiorum dedit. *l. 7. c. 6 ll. ſeqq. ff. pro ſoc.*

CLXXV. Recte tamen repetit, quæ, ſocietatis cauſa peregre profectus, naufragio, vel ſpoliatus à latronibus, amiſit, vel quæ, languore ſuo ſuorumque apprehenſus, erogavit. *l. 52. §. 4 ff. pro ſoc.*

CLXXVI. Item quicquid ſui, ſarcinarumque ſuarum gratia vel mercium impendit *d l. 52. §. 4. & §. 15.*

CLXXVII. Nec refert quod alter ſocius minus fuiſſet impenſurus; ſibi imputet enim qui ſocium minus frugalem elegerit, dum culpa abſit, ſicut dicere ſolemus in eo qui mandavit. *l. 27. §. impendia. ff. mandat.* Ant. Fab. *in rat. l. 52 §. 16 ff pro ſoc.*

CLXXVIII. Nec tantum ſortem pro parte, ſed etiam uſuras repetit. *l. ſi ſocius. 67. § 2. pro ſoc.*

CLXXIX. Ul-

CLXXIX. Ultra actionem pro ſocio, & aliud remedium habet, ſi pro refectione rei aliquid impendit, altero ſocio requiſito, & non conferente partem, nempe quod poſt quatuor menſes, dominium partis ſocii, ad ſe advocare poſsit, rem deinceps habere propriam. *l. 52. § 10. & ibi DD. communiter. ff. pro Soc.*

CLXXX. Res quæ inducit communionem, vel eſt univerſalis, ut hæreditas, vel ſingularis ut legatum.

CLXXXI. Hæres quicquid impendit in hæreditatem, à cohærede repetit, familiæ erciſcundæ judicio. *l. 39. in pr. l qui erat. 49. l fundus. 51. ff. famil. erciſc.*

CLXXXII. Modo animo hæredis. *l 49. ff. fam. erciſc.* ſi enim, antequam ſciret ſe hæredem eſſe, in hæreditate aliquid geſſerit, locus non erit huic actioni, ſed negotiorum geſtorum. *l. 1. ff. de relig. & ſumpt. fun.*

CLXXXIII. Modo 1. ultra ſuam partem ſolvit; non poſſet enim à cohæredibus repetere, niſi pro ipſis quoque ſolviſſet.

CLXXXIV. Si 2. negotium pro ſua tantum parte expedire non potuerit *l. 18 § pen. l. 25. § ſi unus ff. famil. erciſc.* alioqui, quod pro parte hæredis ſolverit, actione negotiorum geſtorum repetet. *l. 6. §. ſive autem ff. comm. divid.*

CLXXXV. Tertiò, Si non voluptatis cauſa impenderit. *l. 27. ff. de neg. geſt. l. hæres. § ſi unus. ff. fam. erciſc.*

CLXXXVI. Quartò. Nec ob ſuum factum ſolverit, cum aliàs ſolvere non debuiſſet. *l. 45 § 5. ff. eod.*

CLXXXVII. Res ſingularis ſi dividitur, ſumptus in eam facti, communi dividundo judicio ſervantur. *l 3. ff. comm. divid.*

CLXXXVIII. Si modo 1. ſciverit rem eſſe communem & communi nomine impenderit. *l 6. § 2. ff eod.*

CLXXXIX. Nam ſi putavit in rem propriam ſe impendere, retinere tantum poterit. *l. 14. § 1. l. 29. ff. comm. divid.*

CXC. Secundò. Et rem pro parte ſua commodè expedire non potuerit, alias negotiorum geſtorum actioni erit locus. *l. 6. §. ſi damni. ff famil. erciſc. l. 4. ff. de nox. act.*

CXCI. Uſufructuarius, cum cuſtodiam rei præſtare cogatur, omniaq; facere, quæ diligens cuſtos facere tenetur. *l. 1. § fin. &*

l. ſeq ff. de uſufr. quemadm. cav. æquum eſt ut etiam repetat, quicquid ejus rei cauſa impendit.

CXCII. Dico rei impenſas; nam fructuum non repetit. *l.* 5. *ff. de impenſ. in res dot. fact.*

CXCIII. Sicut nec ea, quæ fructuum cauſa præſtare tenetur, ut ſunt tributa, & onera realia, quæ fructus ſequuntur. *l. 13. ff. de imp. in res dot. ſact.* & modicæ rei impenſæ; ad quem enim fructus ſpectant, ad illum etiam refectio ædium pertinet. *l. 7. §. 2. ff. de uſufr. l. 18 ff de uſu & habit.*

CXCIV. Immodicas ergo, quæ perpetuam rei utilitatem concernunt, tantum repetit. *l 3 ff. de imp in res dot ſact. l. 7. §. 2 ff. de uſufr* Gramm. *conſ.* 13, *n.* 34. Steph. Grat. *tom.* 4. *deciſ. for. c.* 777. *n.* 1. *& ſeqq.*

CXCV. Verum, etſi uſufructuarius cuſtodiam præſtare teneatur, tamen cogi non poteſt à proprietario, ut immodicè reficiat: ſatis enim eſt, ſi denuntiet domino neceſsitatem refectionis, ne res magis magisq. deterior fiat, eiq; imputari poſsit propter ignorantiam domini *l. 7. § ult. ff. de uſufr.* Pin *in l. 1 p 2. n* 72. *C. de bon. mater.* Steph. Grat *tom 4. diſcept for. c.* 777 *n.* 11.

CXCVI. Sic ſi lubens hoc fecerit, non poteſt impediri à proprietario. *l.* 7. § *ult. ff. de uſufr.*

CXCVII. Nec tenetur denuntiare domino antequam expendat: cuſtodiam enim debet, refectio autem neceſſaria ad cuſtodis officium pertinet. *l. 65. ff. de uſufr.* merito ergô eas repetit.

CXCVIII. Si modo non ſuo ſuorumve facto deterius factum ſit, quod omnino reficere tenetur, licet uſumfructum derelinquere paratus ſit, debet enim omne, quod diligens paterfamilias in ſua domo facit, & ipſe facere *l 65. in pr. ff de uſufr. l. 7. § ult. ff ſolut. matr.*

CXCIX. Modo bona fide impenderit; ſi enim contra notam uſusfructus naturam aliquid operis molitur, ut ſi ædificium non neceſſarium, ad fructus percipiendos, exſtruit, vel formam rei immutat, non repetit. *l. 13. §. 6. in fin. l. 44. ff. de uſufr.* quamvis tollere id non prohibeatur Gars. *d tr. c.* 11 *n.* 28.

CC. Tueri enim benè poteſt, quod accepit, non autem novum facere, *d l.* 44. & excolere quod invenit, qualitate ædium non immutata, *d. l. 13. §. 7.* CCI. Ex

CCI. Ex contractu innominato qui negotium geſſit, actione præſcriptis verbis, id quod impendit, repetit. *l. 5. §. 4. ff. de præſcr. verb.*

CCII. Si cui damnum dolo vel culpa datum, omne quod ejus cauſa impendit, ab adverſario repetit, actione Legis Aquiliæ. *l. 7. in pr. ff. ad L. Aquil.*

CCIII. Qui per errorem tradidit rem melioratam, & accipientis fecit, condictionem habet indebiti. *l. 40. §. 1. ff. de condict. indeb.*

CCIV. Qui poſſeſsionem rei melioratæ amiſit facto domini, actionem in factum. *l. 23. § 5. verſ. ideoq; ff. de rei vind.*

CCV. Imo actionem furti, ſi dominus clam ſurripuit. *l. 59. ff. de furt.*

CCVI. Hæc ſunt principalia remedia quibus impenſæ ſervantur; plura addere poſſem, ut & alia genera impenſarum, ſc. funeris, litis, &c. ſed ne diſputatio in immenſum excreſceret, ea prætermiſi. Pauca addam de compenſatione & æſtimatione impenſarum.

CCVII. Omnes quidem repetunt impenſas de quibus hactenus egimus, ſed non eodem modo; quidam eas repetunt omni fructuum compenſatione ſubmota, ut colonus, uſufructuarius, &c. qui jure dominij fructus percipiunt. *l. 2. l. 4 l. 5. l. 2. §. 2. l. 62. ff. de uſufr.*

CCVIII. Quidam omnino compenſationem admittere coguntur, ut poſſeſſores.

CCIX. Et quidem bonæfidei poſſeſſor cum omnibus fructibus, exceptis percipiendis. *l. 20. l. 45. ff. de rei vind. l. 25. §. 7. l. 31. §. 3. ff. de hered. petit.*

CCX. Malæfidei vero poſſeſſor & cum percipiendis, quos petitor percipere potuiſſet, ſi rem ſuam habuiſſet. *l. ſi navis. 62. §. 1. ff. de rei vind l 31. § 3. ff de heredit. petit.*

CCXI. Non diſtinguo inter poſſeſſorem cum titulo oneroſo, & cum titulo lucrativo, ut Gilkenius *in tr. de impenſ. p. 2. c. 5. n. 14.*

CCXII. Non diſtinguo inter fructus ante litis conteſtationem & poſt eam perceptos.

CCXIII. Nec

CCXIII. Nec inter fructus, quos ſuos facit poſſeſſor, & quos reſtituere tenetur, ut Menochius *in tr. de recuper. poſſeſſ. remed. 11. n. 573*

CCXIV. Notandum, cum dicimus impenſas compenſari cum fructibus, intelligendum cum fructibus ipſius rei, ſecundum antiquum ſtatum, non melioramentorum, quia hos jure dominij, non ſolius poſſeſsionis habet. Et deductis impenſis fructuum. *l. 51. ff. de rei vindic. l. 46. ff. de uſur.*

CCXV. Cæterum quo caſu compenſatio fit, non niſi ad concurrentem usque quantitatem fieri poteſt, ſuperfluum itaque, id eſt, quod in fructibus amplius eſt quam in ſumptibus, lucro poſſeſſoris cedet, è contrario autem, ſi quid plus ſit in ſumptibus quam in fructibus, id oppoſita doli mali exceptione per retentionem, æquitatis ratione ſervabitur. *l. 48. ff. de rei vindic. l. 65. ff. eod. l. 42. §. 1. ff. ſol. matr.*

CCXVI Sequitur æſtimatio. Si petitione hæreditatis agitur, impenſarum neceſſariarum & utilium, à bonæfidei poſſeſſore factarum æſtimatio refertur ad tempus, quo factæ ſunt, exemplo tutorum; nulla conſideratione habita, quid res nunc valeat, ut quidem in malæfidei poſſeſſore. *l. 38. ff. de petit. hæred.*

CCXVII. Si rei vindicatione neceſſariarum impenſarum æſtimatio refertur quidem ad tempus quo factæ, ſed deducitur quanto res deterior aut vilior facta eſt, ex uſu aut uſurpatione ejus, qui illam poſſedit. *l. 58. ff de Legat 1.*

CCXVIII. In utilibus duo tempora conſiderantur ſc. impenſæ factæ & reſtitutionis.

CCXIX. Unde ſi quis 100. erogavit, res autem, tempore reſtitutionis, pro quinquaginta tantum melior deprehendatur, ſolum quinquaginta feret; contrà, ſi quinquaginta ſolum erogata ſunt, & ratione illius pecuniæ, prædij æſtimatio in 100. aucta ſit, tamen non 100, ſed 50. reportabit. *l. 38. l. 48. ff. de rei vind. l. 12. ff. de in rem verſ. l. 29. §. domus. ff. de pign.*

Et hæc, pro materiæ ubertate, hac vice ſufficiant.

Soli Deo gloria.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA